DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.



AUCTORE GULIELMO CONNOLLY.

Quoniam cuique, qui in hac Academiâ celeberrimâ gradum doctoris medicinae consequi nititur, solenne sit, dissertationem de re quavis medicâ in lucem edere, mihi igitur, in vestigiis praetereuntium quamvis haud passibus aequis haerere oportet. In medicinâ ullam rem praecipuam quae excellentiâ caeteris praestiterit, seligere difficile est, ut omnia ad haec pertinere videntur, ad dolorem levandum scilicet, et ad sanitatem confirmandum.* Ut alimenta sanis corporibus agricultura, sic sanitatem aegris medicina promittit. Mihi vero in-

stitutis

* Celsus de Med.

stitutis hujus academiae vetustis obsequenti in animo est, quaedam de Hepatitide dicere. Hic morbus in duas species ab omnibus scriptoribus dividitur, in acutam nempe et chronicam.

HISTORIA MORBI.

Species acuta Hepatitidis ab Culleno claro in his verbis definitur, "pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, saepe pungens pleuritici instar saepius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnaea; tussis sicca; vomitus; singultus."

Ab Graecis hoc corporis vitium ἡπατικον denominatur: haec species raro in hisce regionibus invenitur, sed in regionibus Indiae orientalis et occidentalis maximè grassatur. Hic morbus ab signis inflammationis solitis praegreditur, languore,

lassitudine

lassitudine, dolore et calore, quibus, paulo post, multa signa adjiciuntur, quae jecinoris inflammationi tantum pertinent. Dextri lateris sub praecordiis dolor, nempe, ad humerum et jugulum perveniens, lateris dolentis pressu auctus, saepe acutus pariter ac sensatio inflammatione pleurae provocata; aliquando autem obtusus est, saepe vero cum sensu quodam dolorifico ponderis, aut molestiae sub praecordiis, respiratione difficili vix cum expectoratione, calore aucto, pulsu duro, aliquando frequenti, cute aridâ, linguâ albidâ, nauseâ, site, urinâ rubrâ aut subflavâ, vultu primo rubicundo, in fine pallido, tristi et anxietatem exprimente, cutis et oculorum colore flavo, cum alvo plerumque astrictâ, et faecibus interdum biliosis. Omnia haec signa acuti morbi sunt, et variis jecinoris partibus in quibus inflammatio sedem tenet, haud parum mutantur. Si hujusce visceris superficies convexa afficitur, pressu dolor intolerabilis fit, et saepe tumor aut quaedam plenitudo de sede hepatis apparet, dolor ad summum humeri dextri molestior, tussis et singultus fre-

quentiores

quentiores redduntur, cum respiratione gravi et difficili. Saepe pars concava dolet, et inde irritabilitas augetur ventriculi, vis magna materiae biliosae ex ore plerumque ejicitur, et intestina muneribus suis non bene funguntur. Nec raro ductus, et vesicam fellis inflammatio adoritur: hinc oculorum et faciei color flavus cum signis plerisque Icterum notantibus. Paucis vel pluribus horum, quae supra memorantur, simul concurrentibus, acutum speciem supervenisse clarè ostenditur. Species lenta Hepatitidis, "saepe nulla quibus dignoscatur signa praebet, aliquando tamen eandem adesse suspicari potest ex Hepatitidis causis quibusdam praegressis, ex sensu quodam plenitudinis et gravitatis in hypochondrio dextro, ex doloribus plus minusve frequentibus in eadem parte subinde perceptis, ex dolore quodam a presso hypochondrio dextro vel a decubitu in latus sinistrum sentito, et denique ex pyrexiâ leviore cum dictis signis subinde infestante."*

Saepe

* Cullen Nosol.

Saepe hic morbus ad terminum appropinquat prius quam ulla signa percipiuntur quae accessum ejus insidiosum indicarent. Imo verè non raro in cadaverum sectionibus jecora mole et pondere immani, cum attonitu aspiciuntur et sic quum in vitâ, nulla indicia sese ostenderent, ex quibus vitium tam dirum et inopinatum detegi possit. Ob quam causam quum ulla signa ab aegrotante sentiuntur, quae suspicionem tam minimam excitarent, causas sedule scrutari medici periti est. Hepatitidem chronicam èvenisse manifestum est, ab dolore et quodam ponderis aut plenitudinis sensu, in hypochondrico dextro pressurà magis torquente, respiratione difficili, decubitu in latus sinistrum molesto, urina parcâ et colore variâ, facie pallidum aut subflavum colorem assumente, hilaritatem solitam animo, et nitorem oculis amittentibus, appetitu vario, nunc cibum fastidiente, paulo post eum avide devorante, et subinde ructu, cardialgia, et aliis quae dyspepticos exagitant, saepe cum pulsu intermittente et volitatione in epigastrio. Aliquando hepar magnitudinem tam

magnam

magnam acquirit, ut hypochondrium dextrum et sinistrum expleat et ad hypogastrium porrigat.

Saepe in morbi decursu intumescentiae hydropiacae superveniunt, quae ab pressurâ, reditum sanguinis impediente, oriri videntur: hinc etiam epistaxis et tumores circa anum quae non raro ab hoc morbo inducuntur.

FINES MORBI.

Hepatitis simili modo inflammationi in aliis partibus disinit, in resolutionem nempe, suppurationem, schirrum, sed perraro in gangraenam, quorum resolutio sola et unica est terminatio, quae fausta existimari potest. Si morbi signa remediis idoneis cedunt, et epistaxis, haemorrhoides cum sudoribus profusis, urina sedimentum copiosum deponente, diarrhoea, aut cum erysipelate quandam

dam

dam corporis partem erubescente accidunt, resolutione inflammationem finiri ostendunt, finis quae omnibus modis tentari debet. Quum omnibus medicamentis ad hunc exoptatum eventum exhibitis, nihil valent, et signa sequentia superveniunt, horrores scilicet frequentes, cum materiae fluidae in epigastrio fluctuatione, febre sub luce ingravescente, cum sudoribus nocturnis et aliis febris hecticae indiciis, suppurationem hoc viscus invasisse haud dubitandum est. Inde medici est, quantum possit, pus ad externa attrahere. Nunc et iterum adhaesiones per lympham effusam alicui parti contiguae accidunt, septo transverso nimirum, hoc suppuratione perroso via per pulmones patitur, a quâ materia excreatur aut aeger strangulatione perimit. Ab MORGAGNI se invenisse sextarios duos materiae certiores facti sumus, in hepatis abscessu, hominis, qui multas hebdomadas priusquam mortem obiit, pus expectoratione ejecerat. Nonnunquam abscessus peritonaeo adhaerescens extrorsum tendit, et inde puris evacuatio, chirurgi scalpello effici potest, aliquando

superficies

superficies concava ab inflammatione plectitur; et pus varie eliminatur ut adhesiones cum variis partibus contrahuntur, si pars vitiata ventriculo adhaeret, pus in eum prorumpit, et supra per os exspuitur; sed si intestinis accrescit, dejectionibus e corpore amoveatur, postremo si nullae parti contiguae sese adjungit, et si materia in abdomine effusa sit, de aegrotante actum est. "Cadavere aperto, (HOFFMANNUS inquit) in tota ventris cavitate reperta est ingens copia puris, peritoneum quoque disruptum et putridum conspiciebatur, hepar durum ingentis magnitudinis, albicans circa stomachum sed in gibba sui parte, prope costas spurias nigrum exustum et gangraena infectum." Hujusce visceris suppuratio ut lethalis ab LOLLIO aestimari videtur "haud raro (inquit) morbus ubi non solvetur, suppurat oriturque abscessus prorsus exitialis. Scirrhus, saepius lentae quam acutae hepatitidis terminatio fit, et non raro ad molem ferme incredibilem hoc viscus auget, ut Dr. GREGORY ipse testatur a quo hepar octodecim libras pendens videbatur. Jecinoris perraro in-

flammatio

flammatio in gangraenum desinit, sed ut aliquando evenit, sic ab Saunders monemur: "I have seen some cases (inquit) where the pain and inflammation have subsided very suddenly, and have been succeeded by a low fluttering pulse, cold extremities, and death, so that there has been reason to suspect that this may, on some occasions, though much less frequently than others, become gangraenous."*

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Multae sunt causae, quae, hunc morbum de quo tractamur, excitant; inter quas collocantur, ictus in hypochondrio dextro, corpori sudore madenti frigus illatum, calor caeli, calculi ductibus sive hepaticis sive cysticis inhaerentes, animi affectus, cum exercitatione vehementi, febribus remittentibus aut intermittentibus, Hydrargyri

B excessu,

* Saunders on the Liver.

excessu, intemperantiâ, et cum liquorum spirituosorum usu immodico, calor caeli praecipue, homines in hunc morbum procliviores reddit. Robusti, et qui geniis, lautis mensis et conviviis indulgent, Hepatitidi acutae obnoxii esse videntur. Dum melancholici, et quibus vires morbo, et valetudine adversâ, fractae sunt, morbo chronico magis opportuni esse existimantur. Causis jam enumeratis, affectiones diversae viscerum abdominis et calvaria laesa adjungantur, "That the affection of the liver is not owing to the general shock, which the body has suffered, seems proved, by the circumstance of that organ alone always suffering, while other viscera remain uninjured."*

DE CAUSA PROXIMA.

Inter medicos diu certatum est, et adhuc sub judice lis est, quomodo causae supra dictae hepatis inflammationem

* Cooper's First Lines of Surgery

inflammationem concitare possunt. Multae sunt hypotheses, quibus modum operandi exponere conantur, sed fere omnia ad certamen dirimendum nihil valerent. Unde ita sint, nihil scimus; quamobrem conjecturas a medicis multis prolatas enumerare mihi locus nec animus adest. Sed in verbis scriptoris celeberrimi, dicamus, "Non posse vero comprehendi, patere ex eorum qui de his disputarunt, discordiis, cum de ista re, neque inter sapientiae professores, neque inter ipsos medicos conveniat. Cur enim potius aliquis Hippocrati credat quam Herophilo? cur huic potius quam Asclepiadi."* Et iterum in alio loco, "Sed has latentium rerum conjecturas ad rem non pertinere, quia non intersit quid morbum faciat sed quid tollat, neque ad rem pertineat, quomodo sed quid optime digeratur."

RATIO

* Celsus de Medecina.

RATIO SIGNORUM.

Hypochondrii dextri tensio et dolor ab inflammatione, quae hoc viscus tentat, oriri existimantur.

Dolor ad claviculam, et summum humeri dextri multis et diversis causis ascribitur. Multi sunt, qui hoc signum, pondere hepatis insolito, membranas thoracem tegentes tendente, exponi posse putant. Quidam diaphragmatis inflammationi ad claviculam serpenti imputant. Dum alii ex consensu nervorum pendere existimant, et hoc verisimile. Decubitus in latus sinistrum difficilis, ab ligamentis quae in loco suo hoc viscus tenet, hac positione extensis induci videtur.

Spirandi difficultatis, tussis et singultûs, saepe ex mole visceris septum transversum rursum premente, causa praebetur; tussis ratio inflammatione ab diaphragmate ad pulmones serpente reddi potest.

Nausea

Nausea et vomitus, ut inflammatio superficiem concavam jecinoris invasit, et ut ventriculus mali particeps fieret, facile cognoscitur.

DIAGNOSIS.

In vitiis corporis, quae morbo nostro similia sunt, et pro quibus signorum specie, haberi potest, Pneumonia, Dyspepsia, et Gastritis recensentur, et etiam Enteritis et Spasmus ductuum fellis. Pneumonia in multis Hepatitidi similis est, sed dolor ad claviculam et summum humeri dextri raro, aut vix in pneumoniâ sentitur, sed in aliquâ thoracis parte adsit sed praecipue inter sextam aut septimam costam, quae non pressu, sed inspiratione plena augetur: praeterea in morbo nostro integumenta hypochondrii dextri tumida et tensa sunt, quae in pneumonia aliter sese habent, quin etiam physiognomia (quae ab Gobio in variis morbis utile existimatur) non parvi, medico in diagnosi hujusce morbi sit.

Dyspepsia

Dyspepsia Hepatitidi lentae haud absimilis est, sed in re et ratione medendi distat. Saepe qui Hepatitide lentâ vexati, morbum ventriculi vitio, ascribunt, quia dolor quem sentiunt, spiritus ructu ab stomacho levatur. Sed medici est, vitium perscrutari, quia curari id quod aegrum est, non potest ab eo, qui quid sit, ignoret.

In Hepatitide, dolor hypochondrii dextri pressura dolens, et claviculam petens, vultus lugubris, oculi flavescentes, decubitus in latus intactum molestus, denique febris quae interdiu aliquanto mitior est, nocte ingravescens, morbum nostrum ab Dyspepsiâ facile secernunt.

Gastritis, febre typhode, anxietate, viribus multum imminutis, dolore ventriculi vehemente, vomitu praecipue quibuslibet ingestis aucto, et sensu ardoris urgentis in epigastrio facile dignoscitur.

Spasmus Ductuum Fellis—Dolor per intervalla rediens, sine causa manifesta oriens, corpore antrorsum

trorsum in genua flectente levamen magnum praebente, cum febre leni et morbo antispasmodicis cedente, hoc corporis vitium haud difficile ab hepatis inflammatione distinguunt, in qua signa longe diversa apparent.

Enteritisin—Intestinorum inflammatione, dolor per totum abdomen sed praecipue cirea umbilicum torquens, alvus pertinaciter astricta, pulsus exilis et frequens et febris typhodes, diagnosin clarissimam praebent.

PROGNOSIS.

Nunc ad signa exquirenda, quae spes attollant aut metum injiciunt, pervenimus. Priusquam sententiam de aegri conditione tradimus, temperamentum, aetatem, vivendi rationem, morbi stadium, signorum speciem, et morbi causas bene

perpendere

perpendere debemus. Si aegrotans adolescens sit, si remedia idonea adhibeantur, si signa his remediis cedere videntur, et postremo si symptomata urgentia epistaxi, hemorrhoidibus, dejectionibus biliosis, urinâ sedimentum rubrum deponente, et sudore per totum corpus stillante, levantur, laborantem spe salutis medicis hortari liceat. Sed si aeger, cujus viribus adversâ valetudine et intemperantiâ imminutis, hoc morbo plectitur, et medicamenta quamvis rite et tempestive adhibita ad signa mitiganda nihil valent, et febris per dies septem aut octo, gradatim ingravescit, suppuratio timenda est. Si abscessus in cavitatem thoracis prorumpit, Empyema evenit, in quali eventu aegrotans febre hectica consumitur. Aliquando sed raro suppuratio sine aegri exitio accidit, quum abscessus in pulmones aut in intestina effusi sint, et pus sive per os excreatur, aut per anum dejicitur. Quod si in scirrhum desinit, mors pede tam celeri non sequitur, et tempus praebetur, ut laborantem in sanitatem reducamus, conari. Sed si gangraena supervenit, nulla spes salutis relinquitur, de illo actum est.

DESIGNIS

DE SIGNIS MORBIDIS CADAVERE APERTO.

In sectionibus cadaverum, si jecur inflammatione tentatum est, membrana densior fit, vasis sanguineis rubescit, et lympha obducitur, a qua adhaesiones cum partibus vicinis contrahuntur, quae saepe ne pus in abdomen effusa sit, impediant, quod prorsus exitiale fuerit, suppuratio in omnibus hepatis partibus accidit, plerumque vero superficies convexa magis quam concava ab inflammatione urgeri invenitur, et aliquando etiam totum viscus ferme in pus mutatur.

Aliquando hepar multo minus quam in statu naturali conspicitur, et in aliis, tam magnam molem et pondus acquirit, ut libras octodecim pependat, quod ab Gregorio celeberrimo in praelectionibus suis memoratur.

Nullum est viscus corporis humani, hydatibus

magis obnoxium quam jecur, sive in parenchymate sive in cystis positae sint.

Gangraenae notae perraro in cadaveribus detegi possunt.

~~~~~~~~~~

DE RATIONE MEDENDI.

NUNC quo consilio, Hepatis curari posset paucis dicere restat.

Duo consilia medendi nobis sese in ordine offerunt.

Primo, Inflammationem remediis idoneis resolvere.

Secundo, Signa molesta mulcere, vel ex medio tollere.

Ad
~~~~~~~~~~

Ad inflammationem discutiendam, nullus est morbus, qui regimen antiphlogisticum magis, quam acuta hepatitis flagitat. "The cure of this disease (PEMBERTON inquit) ought to be attempted by strictly adhering to the antiphlogistic treatment."* Indiciis, simul ac sese ostendere coeperunt, occurrendum est, sanguinis missione sive generali, sive locali pro re nata, catharticis, exulcerationibus, et enematibus emolientibus.

VENAESECTIO.

Primo sanguis pro ratione aegri, temperamenti, signorum, et aetatis mittendus est: multum interest modus sanguinem detrahendi, namque magna vis sanguinis ab orificio parvo multo minus ad morbum tollendum pollet, quam exinanitio minor pleno rivo. Imo sanguis, parva plaga detracta, (si mihi proverbio vetusto uti liceat) oleum camini addit namque debilitatem quod maxime timendum est, aliis signis adducit. Quidam sanguinem detrahendum

* PEMBERTON on Abdominal Viscera.

detrahendum esse, dum superficiem albam coriaceam ostendit, dicunt: sed ni fallor, hac norma decipi possumus. Si signa hoc remedio semel applicato non levantur, bis aut ter repeti debet, nisi cubantis debilitas vetat, quum cucurbitula cum ferro, aut hirudines parti dolenti imponendae sunt: si, his remediis rite adhibitis, nullum levamen praebetur, tunc fortasse, exulcerationes, externarum partium inflammationem promovendo, vitium internum demulceant.

Cathartica et enemata utilissima sunt, praecipue in hoc morbo, quia secretionem intestinorum augent, et hoc modo magnam sanguinus vim ab jecinore vitiato detrahunt. "By this (ut Pemberton dicit) constant stimulus, (catharticis nempe) we shall make a demand on the arterial blood of the intestines, and thus prevent so large a quantity from passing on to the vena portarum, to distend the inflamed viscus." Si omnia haec medicamenta nihil ad suppurationem avertendum valent, et quum pus extrorsum tendit, ad externum cataplasmate et fomentationibus

attrahere

attrahere conari debemus. Simul ac materiae fluctuatio percipitur, in abscessum secandum est, si sine periculo alias vicinas partes vulnerandi fieri potest. Inde vires aegrotantis vino, cinchona, et aliis remediis roborantibus renovare necesse est. Quum medicamentis supra memoratis, inflammatio aliquanto levatur, tunc ad hydrargyrum confugiendum est. Medici inter se certant, de hoc medicamentum adhibendo, dum diathesis phlogistica urget. Sed melius est, ni fallor, signa inflammationis lenire priusquam hoc remedio utimur. Submurias hydrargyri quasi catharticum non raro praescribitur. Frictio unguenti hydrargyri in hypochondrio dextro utilissimum inventa est, et impediendo acutam, ne in lentam Hepatitidem desineret, et etiam ductus biliosos emulgendo. Frictio hujus medicamenti applicanda est, donec halitus foetor, gingivarum rubor, et ptyalismus mitis ejus effectus peculiares demonstraverint. Tempus sub quo usus hydrargyri continuari debet, ex medici judicio pendebit. Remedia jam dicta ad lentam aeque ac Hepatiti-

dem

dem acutam discutiendam magni aexistimantur, nisi sanguinis missio, quae corporis debilitatem, quod praecipue in hac specie timendum est, auget. Acidum nitricum, ut remedium in Hepatitide chronicâ, nunc summo cum beneficio exhibetur.

Aliud est remedium nuper in curatione multum laudatum Hepatitidis lentae, Leontodon Taraxacum nempe quod in hoc morbo haud parum prodest, ut Dre. PEMBERTON narratur.* "I particularly recommend the use of taraxacum, from which I have seen the most decided advantage both in incipient scirrhus of the liver, and also in several chronic derangements of the stomach." Nullum est, quod medicamenta jam enumerata, efficaciora redderet, quam ratio victus, et exercitatio, quae in omni aevo a medicis celeberrimis magni aestimata erant.

PYTHAGORAS

* Dr. PEMBERTON on Abdominal Viscera.

Pythagoras diaetam vegetabilem medicamentis praetulit. Asclepiades fidem majorem in ratione victûs et exercitatione quam in medicina posuit, et se multos morbos lenta spccie curare affirmat, haec duo utilissima remedia praescribendo: sed modus est certus, quem ultra utilia esse cessant; exercitationis autem plerumque finis esse debet, sudor aut certe lassitudo quae citra fatigationem sit.

MODUS PRAECAVENDI.

Hic morbus plerumque praegreditur alvo astricta, nausea, et multis aliis signis quae viscera, bilem secernentia suis officiis non bene fungi ostendunt. Quâ de causâ, alvum laxam tenere oportet primo medicimentis quae leniter movent, ut Sulp. Mag. Aquis Mineralibus, &c. &c. Sed si haec incassum adhibeantur, tunc ad acriora ut Aloan, Subm. Hydrargyri, &c. &c. confugiendum est. Nihil est quod obstipationi tam bene obstat,

quam

quam mos desidendi certis temporibus, quae brevi, laxantia omnis generis innecessaria reddit. Si in initio, cupiditas desidendi solito tempore non urget, inde sedem leniter provocare necesse est, donec consuetudo immutata fiat, haec non raro necessitatem remediis ventrem moventibus, utendi prohibet. Namque medicamenta saepe exhibita ventriculum fere laedunt; alvus si vehementius fluit, aut saepius ducitur, hominem infirmat. Melius est causâ has dejectiones incitandi, cibos potionesque assumere qui simul et alant, et ventrem molliant. Alvo astrictae praecipuè, simul ac sese ostendit occurrendum est, ut aliis signis majore periculo praecedit. Medici periti est potius venienti occurrere morbo, quam eum tollere qui presens est.

Principiis obsta. Serò medicina paratur,
Cum mala per longas convaluêre moras.*

OMNES

* OVID.